18275 Nr II

Lane Medical Library

DE

RHEUMATISMI GONORRHOICI NATURA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. M. JULII A. MDCCCLVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AEMILIUS LUDWIG

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. FRIEDEL, MED. ET CHIR. DR.

R. LEUTHOLD, MED. ET CHIR. DR.

H. KNORR, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT FR. GUIL. NIETACK.

Lane Medical Library

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

AD CINERES COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Fere in nulla doctrinae de morbis venereis parte tot sunt diversae medicorum sententiae, quam in doctrina de rheumatismo, quem gonorrhoicum dicunt. Si syphilidologos consulimus, alios invenimus, qui putant, hanc arthropathiam exsistere, si nimis subito supprimatur gonorrhoea, alios, qui censent, gonorrhoeam aeque ac syphilidem, scorbutum cet. dispositionem rheumaticam interdum afferre posse, debilitatem universalem, itaque minorem potentiis externis resistendi facultatem provocantem; altera parte plerique arthritidem sive rheumatismum gonorrhoicum aut non commemorant, aut re vera inveniri plane negant.

Primum igitur examinemus argumenta eorum, qui ejusmodi morbum nullum esse contendunt.

„Rheumatismus vulgaris et gonorrhoea, fortasse dixerit hujus sententiae defensor, frequentissime occurrunt. Rheumatismus autem, quem dicunt gonorrhoicum, rarissimus est morbus; ergo non mirum videtur, si quis gonorrhoea laborans, interdum rheumatismo quoque afficiatur, aeque ac alio quodam morbo. Ii deinde, qui rheumatismum gonorrhoicum statuunt, certe, si sententiam suam probare volunt, quibus symptomatibus differat a rheumatismo vulgari, debent illustrare; at, quae afferunt signa, pathognomonica nequaquam appellari possunt. Ita Cumano, Eisenmann, alii iudicant, rheumatismum gonorrhoicum unam modo articulationem afficere, at partim multi casus innotuerunt, in quibus rheumatismus gonorrhoicus plures articulationes, quin etiam fere omnes affecit, partim sane constat, vulgarem quoque rheumatismum interdum unam modo articulationam aggredi.

Alii, ut Velpeau, tanquam signa differentialia afferunt, arthropathiam gonorrhoicam admodum subito apparere, et ruborem non congruere cum tumore; at haec signa in casibus rheumatismi vulgaris nequaquam desunt. Huc accedit, quod argumentum, quo plerique ad rheumatismum gonorrhoicum pro-

bandum utuntur, effluxum gonorrhoicum cessare dicentes, quando rheumatismus appareat, parum firmum est; multi enim casus afferuntur, in quibus nulla diminutio effluxus affuit.

Denique, etiamsi gonorrhoea per metastasin arthritidem efficere possit, non statim tamen hac de causa morbus specialis est. Si ita ageremus, numerus morborum in infinitum augeretur; ita verbi causa meningitis morbillosa, scarlatinosa cet. morbi speciales existimandi erant, quia constat, meningitidem sub decursu horum morborum interdum et quidem saepe eodem tempore, quo exanthema evanescat, apparere. — Quoniam igitur statuendum est, rheumatismum gonorrhoicum re vera nondum esse probatum, ac quoniam praeterea intelligere omnino nequimus, quo modo gonorrhoea rheumatismum afferre possit: sane optimum erit, si eum plane denegabimus.“

Ad haec ergo argumenta jam mihi respondendum est. Hoc certe concedere oportet, non raro fieri, ut in causis et effectibus dijudicandis id, quod saepius aliud sequatur, effectus nobis esse videatur; sed inde non sequitur, id, quod raro appareat, non esse posse effectum causae frequenter sese offerentis.

Etiam in ea re, de qua agimus, accidit, ut, qui morbus rarus habetur, forsan alii sit rarus, alii deinde, vel etiam eodem loco sub aliis vero conditionibus, non infrequens appareat. Et certe e numero observationum peti non potest argumentum, quo hunc morbum nullum esse probetur. Multo sane majoris momenti illud est, quod nullum symptoma pathognomonicum afferri potest, quo rheumatismus gonorrhoicus differat a rheumatismo vulgari. Ad quam disquisitionem mente collegi casus et cum casibus rheumatismi vulgaris comparavi, quo facto habitum morbi talem esse inveni, ut diagnosis satis certa, magno numero casuum perspecto, non difficulter erui possit; sed ut symptoma, quod jure pathognomonicum dici posset, reperirem, mihi non contigit. Quamobrem, etsi persuasum habui, morbum specialem re vera inveniri, hoc tamen diu dubium mihi fuit, quomodo eum aptissime probare possem. Talia genuina signa pathognomonica quaerens, non veluti plerique auctores, qui antea de hoc morbo scripsere, symptomatologiae tantummodo rationem habui, sed etiam prognosi et aetiologia et curatione argumenta contineri animadverti, quibus erui pos-

set, rheum. gon. genus esse rheumatismi speciale. Inter haec argumenta unum imprimis in prognosi contemplanda oblatum majoris momenti mihi visum est, nam postea toties id confirmatum reperi, ut legem fere mihi constituere videretur.

Quum enim omnes auctores jure doceant, prognosin in vulgari rheumatismo articulari ideo graviorem fieri, quod hic morbus, si quando hominem infestaverit, spatio temporis vario interjecto, denuo facile appareat, aliam invenimus rationem rheumatismi gonorrhoici. Quando enim homo, qui antea rheumatismo vulgari non laboravit, affectus est rheumatismo articulari e gonorrhoea orto, non amplius propensus est ad rheumatismum denuo adsciscendum, dummodo gonorrhoea nullis residuis relictis pariter ac arthropathia omnino sanata sit; sed simulac novam contraxerit gonorrhoeam, mox fere quasi fatali necescitate rheumatismo denuo afficietur.

Ita vidi hominem nunquam antea rheumatismum passum, nullam dispositionem haereditariam praebentem, qui gonorrhoeam sibi conscivit et sub ejus decursu arthropathia rheumatica laborare incepit. Fortuito sane hoc fieri potest. Sanatus vero per lon-

gum spatium annorum ne minimum quidem rheumatismi vestigium animadvertit. Tum autem iterum in gonorrhoeam incidit, et nonnullis diebus post rheumatismo afficitur. Num etiam hoc fortuito fieri existimabis? — Iterum sanatus per aliquot annos optima valetudine gaudet; tum autem gonorrhoea — mox novus quoque rheumatismus apparet. — Alio in casu, quo rheum. gon. accesserat, quoties gonorrhoea apparuerat, neque balsamus copaivae neque pulvis cubebarum ante introitum rheumatismi adhibiti sunt; falluntur igitur, qui rheumatismum gon. non gonorrhoeae sed medicamentis adscribi volunt. Praeterea etiam in aliis casibus fere semper notatur, affectionem, sicut primo insultu formam acutam vel minus chronicam induisset, ita etiam in recidivis eandem formam retinuisse. Sunt etiam casus, quibus inflammatio oculorum praeter rheumatismum adhuc accesserat, et fatali quadam necessitate fere quando gonorrhoeae revertebatur, iterum cum affectione articulationum exstitit. Notandum est hoc loco, hanc ophthalmiam non inflammationem conjunctivae vel blennorrhoeam fuisse, sed iritidem cum formatione hypopyi. Lex illa, quam supra, proposuimus, plane

comprobatur a scriptoribus, quamquam apud eos commemoratam nusquam invenimus, sed ex observationibus ab iis traditis perspicere possumus.

§. 1.

De diversis scriptorum sententiis.

Antequam sententias, quae propositae sunt, examinemus, notandum est, plerosque scriptores opiniones suas non distincte exposuisse, sed casus multos retulisse; et quum curatio magnopere pendeat a modo, quo haec ratio explicetur, ex illa sola saepe concludendum est, quae sit eorum hac de re sententia.

Fabre[1]), chirurgus celeberrimus, ad rheumatismum gonorrhoea provocatum animum attendit. Is primus inter dolores articulationum tendinumque, qui ulcus syphiliticum sequuntur et eos, qui gonorrhoea efficiuntur, distinxit, quorum habitus fere nihil venerei praebeat, qui fere omnino rheumaticis similes sint, quales habendi essent, nisi indoles eorum venerea aliis rebus pateret. Eo maxime ei videntur differre a syphiliticis, post ulcus primarium ortis, quod mercurio non cedant. Quum in omnibus, quos

1) Pierre Fabre, traité des maladies vénériennes. 1748.

observaverat, casibus, quando arthropathia exsistebat, effluxus urethralis cessaret vel magnopere diminueretur, morbum metastasi oriri censuit, atque in hoc morbo sanando plurimum operae dabat, ut effluxus revocaretur.

Monteggia, chirurgus Italicus, qui eodem fere tempore nonnullos casus rheumatismi gonorrhoici descripsit, hunc morbum ex atonia, diaeta restricta, cui inter decursum gonorrhoeae indulgeri solet, provocata, oriri existimans gonorrhoeam modo causam esse docuit praedisponentem.

Autenriethius arthropathiam e corruptione constitutionis derivat, quia virus gonorrhoicum in organismum introducatur et a veneno syphilitico differens, re vera inveniatur in corpore.

Eodem modo Eisenmann [1]) de arthropathia gonorrhoica judicat, sed ex ejus sententia morbus duobus modis apparet, partim ut metastasis suppressam gonorrhoeam sequens, partim ut symptoma, veneno gonorrhoico debitum.

Wallace sympathiam inter urethram et articula-

1) Eisenmann. Der Tripper in allen seinen Formen und in allen seinen Folgen. 1830.

tiones esse censet et hoc modo rheumatismum gonorrhoicum oriri.

Baumès, qui virus speciale gonorrhoicum statuit, eos modo casus rheumatismi gonorrhoici, qui blennorrhagia chronica protracta provocentur, e diathesi in organismo per gonorrhoeam nata oriri putavit. Sin vero rheumatismo in stadio gonorrhoeae acuto oriatur, credit eum vel perfrigerio cet. vel metastasi gonorrhoeae, curatione intempestiva aliove modo suppressae, adscribendum esse.

Nonnulli, praecipue Anglici medici, rheumatismum gonorrhoicum non e gonorrhoea, sed e remediis ad eam sanandam exhibitis oriri censuerunt.

§. 2.

De conditionibus aetiologicis.

A. Conditiones, quae aegrotis inhaerent.

a) Sexus.

Quum sufficiat affirmare, morbum rarissime feminas aggredi, hoc non parvi credo momenti ut probetur, rheumatismum gonorrhoicum re vera esse morbum specialem. Nam si rheumatismus fortuito modo ad gonorrhoeam accederet, nulla sane foret causa,

cur fere nunquam talis complicatio accideret apud feminas, quae, etiamsi minus frequenter, tamen satis saepe et rheumatismo et blennorrhoeis genitalium specificis laborant. Constat enim, blennorrhagiam urethralem esse morbum apud feminas minime frequentem, atque huc accedit, quod nonnullae conditiones, quae magnopere ortui rheumatismi gonorrhoici favere videntur, velut stricturae, rarissime in feminis occurrunt.

b) Aetas.

Quum omnino homines inter vigesimum et quadragesimum aetatis annum morbis venereis maxime expositi sint, aegrotorum etiam, qui nostro morbo obnoxii fuerunt, plerique intra hos terminos versantur.

c) Habitus, constitutio cet.

Fere omnes habitum sanum, quin etiam floridum praebent, nonnulli constitutionem lymphaticam, sed raro majore gradu, habere videntur. Haereditas vero, quae in rheumatismo vulgari satis magni momenti est, quid ad morbum nostrum provocandum valeat, admodum difficile est dijudicatu, et nihil fere in hi-

storiis morborum vel in illis casibus, quos vidi, invenire potui.

d) Alii morbi vel dispositiones morbosae.

α. Urethropathiae.

Gonorrhoeae, quae has arthropathias efficiunt, fere semper chronicae sunt, et licet interdum, oriente rheumatismo, hoc nondum appareat, postea saepissime tales evadunt.

Quae quum ita sint, exspectandum erat, fore ut, quae momenta magnam vim haberent ad gonorrhoeas chronicas reddendas, eandem quoque ad rheumatismum gonorrhoicum provocandum manifestarent, ita verbi causa gonorrhoeae praegressae, stricturae, usus intempestivus bals. copaiv., pulv. cubeb., negligentia, alia similia.

Quod ad gonorrhoeas praegressas nihil certi momenti in casibus ab aliis relatis inveniri potest, quum aegroti gonorrhoeas et praesentes et antecedentes frequenter occultent.

Quod ad stricturas urethrae hoc sine dubio elucet, gradus leviores earum, quum facillime aegrotos et medicos effugiant, ad genesin morbi non nimium valere posse. At vero si non stricturae, certe hy-

peraesthesiae loci circumscripti urethrae quinque circiter pollices pone orificium urethrae siti reperiuntur, quae sine dubio signum lentae inflammationis localis atque fortasse stricturae exordium haberi possunt. Si haec inflammatio aut strictura, effluxu gonorrhoico sedato, remanet, fieri potest, ut rheumatismus jam fugatus, nulla nova infectione accedente, hac inflammatione urethrae locali vel excessu vel alio modo exacerbata, revocetur.

Qua re sententia, rheumatismum gon. non reverti, nisi nova gonorrhoea exstiterit, minime labefieri, sed potius firmari mihi videtur, nam hoc facto eadem causa efficit, ut rheumatismus denuo oriatur, et quando nova provocatur gonorrhoea et quando rheumatismus quasi sponte excitari videtur; statuere enim licet, quamdiu idem status pathologicus in urethra persistat, magnam adesse ad novos impetus rheumatismi contrahendos proclivitatem. Cui congruenter saepius sub impetu rheumatismi magis diuturno arthropathiam, quum effluxus, talibus residuis relictis, excessu, perfrigerio vel alio modo augeretur, exacerbatam videre licet. Si tales exacerbationes vel novi impetus saepius et intervallis interjectis majori-

bus nonnihil aequalibus apparent, error sane et in diagnosi et in prognosi morbi facile committi potest, atque ita saepe non gonorrhoea causa rheumatismi, sed rheumatismus causa gonorrhoeae existimatur. Multae observationes, a scriptoribus ut exempla blennorrhagiae rheumaticae sive arthriticae relatae, sine dubio huc pertinent, et a proclivitate inflammationum urethrae chronicarum ad arthropathias, conditionibus faventibus, provocandas pendent. Ita relatum audivi de viro quodam, qui per seriem annorum unoquoque fere anno et quidem eodem tempore rheumatismo affectus fuerat, apud quem fluxus urethralis non solum seriem symptomatum adduxit, sed etiam primum quasi eorum exstitit. Porro quum aegrotus proximis, postquam uxorem duxisset, annis se contagioni sese exposuisse negaverit, hic casus summam analogiam praebet cum iis, qui ab auctoribus ut exempla fluxus urethralis acrimonia rheumatica vel arthritica effecti referuntur. — Ceterum hic etiam casus mihi omnino regulam supra propositam confirmare videbatur. Initio enim gonorrhoea exsistit — oritur arthropathia; uterque morbus sanatur, tum spatium liberum intervenit, dein nova gonorrhoea — mox nova arthropa-

thia — cet. Apud scriptores etiam hujus rei exempla similia inveniuntur.

β. Syphilis.

Syphilidem etiam causam ad rheumatismum gonorrhoicum praedisponentem habendam esse, minime credo, nam sane mirandum non est, quod inter tantum aegrotorum numerum ad eam classem pertinentem, quae sine dubio omnium maxime contagioni sese exponit, aliquot certe inveniuntur, qui syphilide affecti fuerint. Ceterum etiam casus, quibus syphilis praecesserat, cum reliquis comparantibus nobis nulla obvenit differentia ab aliis casibus, qua re etiam censere licet, syphilidem in nostro morbo provocando nullam vim exercere.

γ. Rheumatismus vulgaris.

Inter aegrotos tam pauci sunt, qui indicent, antea se rheumatismo vulgari obnoxios fuisse, ut censere liceat, morbum nostrum his in casibus fortuito eos aggressum esse antea rheumatismum vulgarem passos, et sine dubio erui non potest, rheumatismum vulgarem ad arthritidem gonorrhoicam praedisponere. Simul vero adnotandum nobis est, talibus aegrotis non plane fortasse fidendum esse, nam certe inter

illos casus nonnulli sunt, in quibus vulgaris rheumatismus referatur quidem antecessisse, sed re vera rheumatismus gonorrhoicus praegressus sit.

B. Conditiones ipsis aegrotis non insidentes.

e) Medicamina.

Jam si reliquas conditiones, ut sunt medicamina aliaque, disquirimus, haec res dijudicatu valde difficilis videtur. Nam multum interest, utrum hoc magni momenti habendum sit nec ne, quae sit methodus vulgaris seu consueta in nosocomiis, e quibus talia referuntur, tractandi gonorrhoeam. Nam si uno loco dimidia gonorrhoearum pars Balsamo Copaivae tractatur, profecto non mirandum est, quod dimidia quoque pars eorum, qui rheumatismo gonorrhoico afficiuntur, ante impetum morbi hoc remedio usa est. Quum igitur eluceat, numeris medicaminum internorum vim ad provocandum morbum demonstrari non posse, certe etiam concludi nequit, haec remedia nullam omnino vim exserere ad hunc morbum excitandum; occurrunt enim casus, qui tali opinioni faveant. Causa mihi in hoc quaerenda esse videtur: etsi enim usus magnarum pulveris Cubebarum do-

sium in stadio inflammatorio gonorrhoeae a multis valde commendatur, easque nonnunquam bonum effectum praestare negari non potest, credo tamen, iis hoc in stadio porrectis gonorrhoeas frequenter chronicas fieri. Sed si jam ea, quae gonorrhoeas chronicas reddere solent, morbo nostro favere videri reputamus, magnopere mihi probabile fit, abusum vel usum intempestivum balsami Copaivae aut pulveris Cubebarum idoneam huic morbo provocando conditionem praebere, attamen nequaquam probatum esse censeo, usum horum medicaminum solitum stadio inflammationis praeterito ei favere.

f) Perfrigerium.

Nulla sane causa saepius ab aegrotis, inprimis in affectionibus rheumaticis, affertur, quam perfrigerium. Mirandum vero saepius est, multos eorum, quos arthropathia gonorrhoica laborantes examinamus, hanc causam non culpare eamque in casibus ab aliis relatis raro tantum memoratam inveniri, quibus adhuc adjiciendum est, certe complures eorum initio gonorrhoeam dissimulasse atque ideo sine dubio perfrigerium modo finxisse. Quoniam igitur perfrigerium nullius esse momenti ad rheumatismum gonorrhoicum

provocandum observavi, hoc non inter causas disponentes huius morbi numerandum esse censeo.

Huic rei alia ratio bene congruere mihi videtur. Constat enim, ad rheumatismum vulgarem imprimis duo anni tempora, ver et auctumnum, disponere. Jam vero disquirentibus nobis, quo mense anni maximus casuum numerus ortus sit, multo majorem numerum mense Julio occurrisse videmus, id quod haud dubie ab eo pendet, quod hoc tempore occasionibus, publicis delectationibus ceterisque magis faventibus plures gonorrhoeae oriri videntur. Quum igitur hoc tempore maximus gonorrhoearum numerus existat, sane probabile fit, hoc mense etiam rheumatismi gonorrhoici plurimos casus observari, si quidem hic morbus vere gonorrhoeae, non perfrigerio debetur.

g) Traumata.

Constat apud aegrotos ad rheumatismum opportunos lapsum, ictum cet. vulgari rheumatismo articulari proferendo faverc. Sed tam pauci rheumatismo gonorrhoico laborantes hanc causam indicant, ut traumata inter causas ad rheumatismum gonorrhoicum disponentes certe non sint numeranda.

§. 3.

Sententia, quam ipsi de rheumatismo gonorrhoico habemus.

Jam ad sententias scriptorum de ratione, inter gonorrhoeam et rheumatismum intercedente, reversi, dijudicare eas conabimur.

1) Estne igitur gonorrhoea praedisponens tantummodo causa rheumatismi, ita ut causa determinans, e. gr. perfrigerium, alia requiratur ad morbum excitandum, quae fuit sententia Cullerieri et plerorumque?

Vidimus neque perfrigerium neque violentiam externam locum ullum tenere inter conditiones, ortui rheumatismi faventes; vidimus praeterea in introductione, gonorrhoeam agere causam determinantem non universi solum morbi, sed etiam uniuscujusque morbi impetus. Licet ergo sine dubio concludere, hanc sententiam non veram esse.

2) An rheumatismus oritur metastasi, gonorrhoea silente?

Pauci modo casus inveni, ex quibus hoc perspi-

cuum sit, in omnibus aliis rheumatismus ortus est dum fluxus ex urethra perduravit, ita ut hic oriundi modus non regulam sed potius exceptionem constituat; sed quum nullum fere discrimen indicetur inter eos casus, in quibus rheumatismus, gonorrhoea subito repressa, ortus est, et eos, in quibus, gonorrhoea persistente, exstitit, quumque in omnibus his casibus effluxus semper brevi post reverteretur, nihil fere mihi interesse videtur, cessetne effluxus an persistat.

3) Num rheumatismus gonorrhoicus est symptoma infectionis gonorrhoicae organismi?

Haec sententia, ut jam supra commemoratum est, ea imprimis analogia nititur, quae inter symptomata, ex ulcere syphilitico orta, et ea, quae gonorrhoea provocantur, intercedere dicitur; atqui jam satis constat, magnam illorum partem ex infectione organismi oriri, hanc quoque symptomatum seriem simili modo exsistere, conjectatum est.

In syphilide enim videmus, ulcus apparere, sanari et frequenter omnia affectionis primariae vestigia evanescere, quum symptomata secundaria vel tertiaria exsistant; si itaque originem horum symptomatum

explicare volumus, infectionem organismi admittere cogimur.

Aliter autem nostro in morbo res se habet; quando enim arthropathia, ex hac sententia symptoma secundarium, apparet, affectio primaria (inflammatio urethralis) semper persistit, effluxus per momentum quidem temporis silere potest, sed reditus ejus, semper brevi post insecutus, morbum perstitisse satis probat.

Ergo, morbo primario semper persistente, non ad adoptandam hypothesin de infectione organismi cogimur; potest enim facillime fieri, ut affectio urethralis sympathica, cujus dominium in morbis excitandis tam amplum est, arthropathiam provocarit. Praeterea constat, symptomata syphilitica secundaria et tertiaria frequenter per longa intervalla sponte reverti, nullo novo symptomate exorto; arthropathia gonorrhoica autem interdum quidem revertitur, sed, sicut jam antea probatum est, gonorrhoea denuo concitata semper requiritur, nisi affectio urethralis persistit.

Quum denique omnino non probatum mihi videatur, virus specificum per gonorrhoeam in organismum introduci, non possum suffragari eorum sen-

tentiae, qui arthropathiam gonorrhoicam symptoma infectionis gonorrhoicae esse putant.

4) An artropathia gonorrhoica symptoma est infectionis syphiliticae?

Confitendum est, infectionem syphiliticam haud dubiam esse, sed valde incertum quidem, possitne gonorrhoea, nisi ulcere syphilitico urethrali complicata est, eam provocare. Sed existimari potuit, arthropathiam gonorrhoicam eas ipsas gonorrhoeas sequi, quae cum ulceribus syphiliticis, vel in urethra vel extra eam sitis, conjunctae fuerint.

Quum praeterea arthropathia syphilitica aliquantum differat ab arthropathia gonorrhoica, illa enim imprimis duras articulationum partes, ossa et cartilagines, haec partes molliores, telas fibrosas et cellulosas, afficit, quum denique neque Hydrargyrum chloratum mite neque Kali hydrojodicum, optima remedia antisyphilitica, ullum fere effectum in hunc morbum curandum exserere videantur, negandum esse censeo, rheumatismum gonorrhoicum esse symptoma infectionis syphiliticae.

5) An debetur rheumatismus gonorrhoicus usui Balsami Copaivae?

At jam explicavimus, etiam his in casibus, in quibus hoc remedium non adhibitum sit, rheumatismum gonorrhoicum exsistere, ita ut morbus hoc remedio et similibus non provocetur, sed gonorrhoeae sit adscribendus.

His omnibus perlustratis, una tantummodo restat sententia eaque haec: gonorrhoea est causa determinans rheumatismi, singulari constitutione praedisponente, certisque conditionibus, quas jam examinavimus, faventibus.

VITA.

Ego Gustavus Mauritius Aemilius Ludwig, fidei addictus evangelicae, natus sum die 28 mensis Augusti a. MDCCCXXXI Berolini, patre Samuele, matre Joanna e gente Mühlpfordt, quos Deus benignus adhuc vivos servavit servetque in posterum. Primis litterarum elementis in schola reali, quae tum sub directore beat. Zinnow floruit, imbutus, gymnasium Friderico-Werderanum per tres annos et sex menses frequentavi, unde gymnasium Züllichaviense adii, tum Cottbusiense, directore Reuscher florens, ubi anno praeterlapso abiturientium examen superavi. Maturitatis testimonio instructus mense Aprili anni MDCCCLII Gryphiswaldam petii, ubi a beat. Mat-

thies, vir. Ill., rectore magnifico, civis academicus factus et ab Ill. Haeser, facultatis medicae decano spectabili, in album medicum relatus sum. Hinc uno exacto semestri ad universitatem Berolinensem discessi et Ill. Stahl rectore ab Ill. Ehrenberg, ordinis medici decano spectatissimo, inter medicinae studiosos receptus sum.

Gryphiswaldae hasce scholas frequentavi:

Ill. Haeser de encyclopaedia et methodologia medica.

Ill. Matthies de logice et de metaphysice;

Ill. Stiedenroth de psychologia;

Cel. Tillberg de physice;

Ill. Hühnefeld de chemia anorganica;

Ill. Münter de botanice;

Ill. Schulze de osteologia et de syndesmologia;

Exp. M. Schulze de anatomia comparta.

Per quadriennium Berolini hisce interfui scholis philosophicis et medicis:

Ill. E. Mitscherlich de phyto- et zoochemia;

Ill. Lichtenstein de zoologia;

Ill. J. Mueller de anatomia corporis humani et organorum sensuum, de physiologia universa et de physiologia generationis, de anatomia pathologica;

Ill. Weiss de mineralogia;

Ill. G. Mitscherlich de materia medica, de medicamentis excitantibus;

Ill. Schultz-Schultzenstein de pathologia et therapia generali;

Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali;

Ill. Juengken de chirurgia, de corporis laesionibus;

Exp. Gurlt de fracturis et luxationibus, de arte fascias rite imponendi;

Ill. Langenbeck de morbis organorum uropoëticorum;

Ill. Casper de medicina forensi;

Exp. Traube de auscultatione et de percussione;

Exp. Ebert de morbis infantium;

Exp. a Baerensprung de morbis syphiliticis;

Cel. Schoeller de arte obstetricia;

Cel. Boehm de akiurgia, de tenotomia, de dentium morbis.

Exercitationibus practicis me instituerunt:

Ill. J. Müller et Ill. Schlemm arte cadavera rite secandi;

Cel. Boehm operationibus in mortuis faciendis.

Clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis interfui virorum Ill., Cel., Exp. Romberg, Wolff, Ebert, Langenbeck, Juengken, Boehm, a Baerensprung, Busch.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES.

1. Inter morbum Brightii et morbos cordis nexus causalis non exstat.
2. Secretum cujusvis membranae mucosae inflammatae in stadio acmes est contagiosum.
3. Encephalomalacia non est morbi species, sed variorum morborum productum.
4. In primo coxalgiae stadio inflammatorio cauterium actuale remedium praestantissimum.